



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

ARTICULUS III.

An etiam oculus corporeus elevari possit ad videndum Deum?

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

58. **A**ntropomorphitæ existimantes Deum esse corporeum, eique humanam figuram assignantes, consequenter etiam dicebant, ipsum posse videri oculo corporeo. Aliqui vero recentiores, quos statim referemus, asserunt, vel saltem in dubium revocant, an oculus corporeus ad videndum Deum supernaturaliter elevari possit.

Dico tamen, nec oculum corporeum, nec ullum sensum internum, vel externum posse supernaturaliter ad videndum Deum elevari. Est communis Theologorum cum D. Thoma hic art. 3. & oppositum Suarez censetur errori proximum, Vasquez temerarium, Valentia tamen de illa dubitat; imo Arriaga, & alij recentiores quibus hoc studium est, nihil statim certe certum, omnia revocant in dubium, illam negant de oculo possibili.

59. **P**robari conclusio ex supra dictis: Implicat aliquam potentiam vitalem, & cognoscitivam ferri extra latitudinem sui objecti ad æquari, & specificativi; alioquin ferretur extra p. opt. a. n. speciem, & quidditatem, quod implicat. Sed Deus ut est in se, est extra latitudinem objecti ad æquari, & specificativi oculi corporei aut alicuius potentie sensitivæ; quandoquidem objectum ad æquatum illarum est ens materiale, & corporeum; Deus autem in se est immaterialis, & incorporeus: Ergo implicat oculum corporeum, aut alium sensum externum, vel internum ad videndum Deum supernaturaliter elevari.

Confirmatur: Deus, ut est in se, magis distat ab omnibus objectis sensibilibus, quam unum objectum sensibile ab alio, v. g. quam sonus a colore: Sed implicat sonum videri ad oculo corporeo, ut communiter conceditur: Ergo & Deum quidditative videri ab oculo; aut ab alio sensu interno, vel externo.

Confirmatur amplius: Visio beatifica est actus omnino immaterialis, ut ore Deo summe immateriali proportionatus: Sed implicat potentiam aliquam materiale, & corporeo organo affixam; elicere aliquem actum omnino immateriale, actus enim nunquam excedit in immateriale suam potentiam: Ergo repugnat potentiam aliquam corpoream & materiale videri Deum.

60. **P**robari secundo conclusio: Cum potentie sensitivæ brutorum sint ejusdem perfectionis & speciei cum nostris; imo quædam superent homines in facultate videndi; ut dicitur de lynce & aquila: si oculus; aut alius sensus corporeus hominis posset supernaturaliter videre Deum, etiam oculus bruti, vel ejus phantasia ad claram Dei visionem elevari posset: Hoc autem esse absurdissimum, quis non videat? Si enim bruta essent capacia videndi Deum per imaginarietatem, vel sensum supernaturaliter elevarum, posset etiam supernaturaliter amare Deum, & illo frui, cum amor, & fructio ad visionem Dei consequantur. Item bruta essent creata ad imagi-

Tom. I.

Anem, & similitudinem Dei, quod est contra fidem, quæ toti creaturæ intellectuali hanc excellentiam tribuit. Sequela patet, homo enim videndo Deum intuitivè maxime consummatur in ratione imaginis, & similitudinis Dei ex intima unione essentia divina per modum formæ, & speciei intelligibilis cum ejus intellectu: juxta illud 1. Joan. 3. *Similes erimus, quoniam videbimus eum sicut est*: Ego si bruta essent capacia visionis Dei sicut homines & Angeli, essent etiam facta ad ejus imaginem & similitudinem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

61. **C**ontra hanc conclusionem objiciuntur imprimis varij textus Scripturæ, in quibus homines dicuntur oculis vidisse Deum: Job 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*. Et Isaia 6. *Vidi Dominum sedentem super solium*. Secundo objicitur Augustinus 22. de civit. cap. 29. ubi videtur dubitanter asserere, quod beati post resurrectionem videbant Deum, etiam oculis corporeis.

Ad primum respondeo plura ex illis locis intelligi de visione Dei, non in sua essentia, sed in corporea specie, in qua voluit apparere sensibiliter. Vnde de Deo in humanitate assumpta, in qua in terra visus est, & cum hominibus conversatus est, ut dicitur Baruc 3. Secundo dicitur potest, quod quando in Scriptura Deus dicitur videri oculis, hoc non debet intelligi de oculo corporeo, sed spirituali: scilicet de fide, vel sapientia infusa, quæ Deus in hac vita cognoscitur. Sic ad Ephes. 1. *fideles dicuntur habere oculos illuminatos fidei*, & D. Bernardus loquens de fide, vocat illam oculatam: *Videat (inquit) quædam oculata sit fides quam lynceis oculis habeat, diligenter considerate*. Ad Augustinum verò respondeo cum D. Thoma hic art. 3. ad 2. Augustinum eo loco asserere tantum, oculos Beatorum glorificatos videre Deum per accidens in aliquo ejus effectu, sicut oculi nostri videre dicuntur alicuius vitam, quando vident motus sensibiles, & corporeos ab illo procedentes.

62. **E**x his inferes, oculum corporeum non posse etiam elevari a Deo ad videndum Angelum ut est in se; quia cum Angelus sit substantia pure spiritualis, & immaterialis, non continetur intra objectum ad æquatum, & specificativum oculi corporei.

Dices; Ignis Inferni elevatur a Deo ad torquendos Dæmones, quamvis illi sint omnino spirituales, ignis verò corporeus: Ergo similiter oculus corporeus poterit elevari a Deo ad videndum Angelum, quamvis ille sit spiritualis, & incorporeus.

63. **S**ed nego Consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est, quia ignis concurret solum instrumentaliter ad torquendos dæmones; oculus autem, cum sit potentia vitalis, non potest instrumentaliter concurrere ad eliciendam visionem, sed necessario debet esse causa principalis illius. Hoc autem intercedit discrimen inter instrumentalem, & principalem; quod illa potest elevari extra suum objectum specificativum, sicut aqua elevatur in Baptismo ad producendam gratiam in anima pueri; ista vero non potest etiam supernaturaliter extra limites objecti specificativi se extendere, ut constat ex supra dictis.

ARTI